

NAVIS AERIA.

3

LIBER PRIMUS.



UA valeat remis & vento concita pup-
pis
Nare per aërios tractus ; quanam aethere
in alto

Arte regi , latias cantu vulgare per urbes
Primus (a) ego incipiam . Longe juvat aeris ire
Per medios liquidi campos ; juvat invia ferri
In loca subvectum rupes atque ardua supra
Culmina parnassi , nostris modo candida coeptis
Uranie adspires . primam si condidit Argo
Per non tentatos ausam decurrere fluctus
Colchidos ad fines Pallas ; tu nunc , dea , condē
Argo aliam , latas caeli volitare per oras
Quae sciat ; atque novas artes , nova foedera rerum ,
A 2 Aeriaf-

(a) *Primus ego incipiam* jure quidem ; quum
integrum hujusmodi argumentum nemo , quod sciam ,
versibus illustraverit ; quamvis & Robertius disertus ille
leporum pater ac facetiarum , & alii fortasse partem
aliquam attigerint ; recentissime vero Mazzolarius in
poemate elegantissimo , quod sub Parthenii nomine
edidit , prope finem *lib. V. Electr.* hujusce rei mentio-
nem fecerit .